

# Plaute

## Comédies peu connues



Domina et Senex (**Le Forum en Folie** de Richard Lester)

## **Dossier établi par Claude Aubert (2019)**

Les textes et les préparations sont téléchargeables sur le site :

<https://www.douziemeheure.ch/2/>

Les captures d'écran ont été faites par Claude Aubert.

Elles sont tirées du film **Le Forum en Folie** de Richard Lester (1966)

### **Introduction générale**

Laisant de côté les comédies les plus éclébres de Plaute, nous avons choisi de sélectionner des fragments de deux pièces moins connues de cet écrivain.

Sa langue peut déconcerter le philologue classique non professionnel pour deux raisons : d'une part il s'agit de l'auteur latin le plus ancien dont nous ayons des œuvres complètes ou presque ; sa langue est donc un peu archaïque ; d'autre part, il cherche dans ses dialogues à rendre la langue parlée à Rome à l'époque et qui était fort différente de celle d'un Cicéron ou d'un Virgile.

Cependant, en plus du fascicule de vocabulaire joint, afin de faciliter le travail de qui voudra parcourir les extraits que nous offrons ici, nous avons cherché à adapter modestement l'orthographe des mots au latin scolaire classique.

### **Table des matières**

		<b>Textes</b>	<b>Vocabulaires</b>
Séance 1	Les trois écus (début)	3	1
Séance 2	Les trois écus (suite)	11	5
Séance 3	Les trois écus (fin)	19	9
Séance 4	Le câble (début)	27	12
Séance 5	Le câble (suite)	36	19
Séance 6	Le câble (fin)	43	24

# Plaute

## Séance 1

### Les trois écus

Extraits du début de la pièce

*Trinummus*



Scène de rue (**Le Forum en Folie** de Richard Lester)

## PERSONAE

MEGARONIDES SENEX  
CALLICLES SENEX  
LYSITELES ADULESCENS  
LESBONICVS ADVLESCENS  
PHILTO SENEX  
STASIMUS SERVUS  
CHARMIDES SENEX  
SYCOPHANTA

### *Une maison à vendre (Trinummus I, II)*

*Le vieillard Mégaronide voit son ami le vieux Calliclès sortir de la maison de Charmidès, qui est parti en voyage depuis longtemps, et, le prenant pour un fieffé coquin, s'apprête à lui adresser d'amers reproches :*

**CALLICLES** Expecto si quid dicas.

**MEGARONIDES** Primumdum omnium,  
male dictatur tibi vulgo in sermonibus :  
**turpilucricupidum** te vocant cives tui. 100  
Tum autem sunt alii qui te **volturium** vocant ;  
hostesne an cives **comedis, parvi pendere.**  
Haec **quom** audio in te dici, eis **excrucior** miser.

**CALLICLES** Est atque non est mihi in manu, Megaronides :  
**quin** dicant, non est ; merito ut ne dicant, id est. 105

**MEGARONIDES** Fuitne hic tibi amicus Charmides ?

**CALLICLES** Est et fuit.  
Id ita esse ut credas, rem tibi **auctorem** dabo.  
Nam postquam hic ejus **rem confregit** filius  
videtque ipse ad paupertatem protractum esse se,  
suamque filiam esse adultam virginem, 110  
simul ejus matrem suamque uxorem mortuam,



quoniam hinc ituru'st ipse in **Seleuciam**,  
 mihi **commendavit** virginem natam suam,  
 et rem suam omnem et illum corruptum filium.  
 Haec, si mihi inimicus esset, credo, haud **crederet.** 115

**MEGARONIDES** **Quid** tu, adolescentem, quem esse corruptum vides,  
 qui tuae mandatus est fide et fiduciae,  
**quin** eum **restituis** ? **Quin ad frugem** corrigis ?  
 Ei rei operam dare te fuerat aliquanto aequius,  
 si **qui** probiorem facere possis, non uti 120  
 in eadem tute accederes infamiam  
**malum**que ut ejus cum tuo misceres malo.

**CALLICLES** Quid feci ?

**MEGARONIDES** Quod homo **nequam.**

**CALLICLES** Non istud meum'st.

**MEGARONIDES** Emistin' de adolescente has aedes ? quid taces ?  
 ubi nunc tute habitas ?

**CALLICLES** Emi, atque argentum dedi, 125  
**minas** quadraginta adolescenti ipsi in manum.

**MEGARONIDES** Dedistin' argentum ?

**CALLICLES** Factum ; neque facti piget.

**MEGARONIDES** Edepol, **fide** adolescentem mandatum malae !  
 Dedistine hoc facto ei gladium, qui se occideret ?  
 Quid **secus** est aut quid **interest** dare te in manus 130  
 argentum amanti homini adolescenti, animi **impoti**,  
 qui **exaedificaret** suam **incohatam ignaviam** ?

**CALLICLES** Non ego illi argentum redderem ?

**MEGARONIDES** Non redderes,  
 neque de illo quidquam neque emeris neque venderes ;  
 nec, qui **deterior** esset, faceres **copiam.** 135

**Inconciliastin'** eum qui mandatu'st tibi ?

Ille qui mandavit, eum exturbasti ex aedibus ?

Edepol, mandatum pulchre et curatum probe !

Crede huic tutelam : suam melius rem gesserit.

**CALLICLES** **Subigis** maledictis me tuis, Megaronides, 140

novo modo adeo, ut quod meae concreditum'st  
**taciturnitati clam**, fide et fiduciae,  
ne **enuntiarem** cuiquam, neu facerem **palam**,  
ut mihi necesse sit jam id tibi concredere.

**MEGARONIDES** Mihi quod credideris, sumes ubi posiveris. 145

**CALLICLES** **Circumspicedum** te, ne quis adsit **arbiter**  
nobis : et, quaeso, **identidem** circumspice.

**MEGARONIDES** Ausculto, si quid dicas.

**CALLICLES** Si taceas, loquar.

Quoniam hinc est profecturus **peregre** Charmides,  
thesaurum in hisce demonstravit mi aedibus, 150  
hic in **conclavi** quodam ; sed circumspice.

**MEGARONIDES** Nemo est.

**CALLICLES** Nummorum **Philippeum** ad tria milia.

Id solus solum, per amicitiam et per fidem,  
flens me obsecravit suo ne nato crederem,  
neu cuiquam unde ad eum id posset **permanascere**. 155  
Nunc si ille huc salvus revenit, reddam suum sibi ;  
**si quid eo fuerit**, certe illius filiae,  
quae mihi mandata est, habeo dotem unde dem,  
ut eam in se dignam condicionem collocem.

**MEGARONIDES** **Pro** di immortales, verbis paucis quam cito 160

aliud fecisti me ! Aliud ad te veneram !  
Sed ut **occepisti**, perge **porro** proloqui.

**CALLICLES** Quid tibi ego dicam, **qui** illius sapientiam  
et meam fidelitatem et celata omnia  
paene ille ignavus **funditus pessum dedit** ? 165

**MEGARONIDES** Quidum ?

**CALLICLES** Quia ruri dum sum ego unos sex dies  
me absente atque insciente, inconsultu meo,  
aedes **venales** hasce inscribit litteris.

**MEGARONIDES** **Adesurivit** magis et **inhiavit** acrius  
lupus : observavit dum dormitarent canes ; 170  
Gregem universum voluit totum avertere.

**CALLICLES** Fecisset, edepol, ni haec praesensisset canis.  
Sed nunc rogare ego **vicissim** te volo :  
quid fuit officium meum me facere ? Fac sciam ;  
utrum indicare me ei thesaurum aequum fuit, 175  
adversum quam ejus me obsecrasset pater ?  
an ego alium dominum paterer fieri hisce aedibus ?  
Qui emisset, ejus essetne ea pecunia ?  
Emi egomet potius aedes ; argentum dedi  
thesauri causa, ut salvum amico traderem. 180  
Neque adeo hasce emi mihi, nec **usurae** meae :  
illi redemi rursum, a me argentum dedi.  
Haec sunt ; si recte, seu perverse facta sunt,  
egomet fecisse confiteor, Megaronides.  
Hem mea malefacta, hem meam avaritiam tibi ! 185  
Hasce propter res maledicas famas ferunt.

**MEGARONIDES Pausai** : vicisti **castigatorem** tuum.  
**Occlusti** linguam ; nihil est quod respondeam.

**CALLICLES** Nunc ego te quaeso ut me opera et consilio juves  
**communicesque** hanc mecum meam **provinciam**. 190

**MEGARONIDES** Polliceor operam.

**CALLICLES** Ergo ubi eris paulo post ?

**MEGARONIDES** Domi.

**CALLICLES** Numquid vis ?

**MEGARONIDES** Cures tuam fidem.

**CALLICLES** Fit **sedulo**.

**MEGARONIDES** Sed quid ais ?

**CALLICLES** Quid vis ?

**MEGARONIDES** Ubi nunc adolescens **habet** ?

**CALLICLES** **Posticulum** hoc recepit, cum aedes vendidit.

**MEGARONIDES** Istud volebam scire : i sane nunciam. 195  
Sed quid ais ? Quid nunc virgo ? **Nempe** apud te est ?

**CALLICLES** Ita est :  
**juxtaque** eam curo **cum** mea.

**MEGARONIDES** Recte facis.

**CALLICLES** Num, priusquam abeo, me rogaturus ?

**MEGARONIDES** Vale. (*Calliclès sort*)

Nihil est profecto stultius, neque **stolidius**,  
neque **mendaciloquius**, neque **argutum** magis, 200  
neque **confidentiloquius**, neque periurius  
quam urbani **adsidui** cives, quos **scurras** vocant.  
Atque egomet me adeo cum illis una ibidem traho,  
qui illorum verbis falsis acceptor fui :  
qui omnia se simulant scire, neque quidquam sciunt. 205  
Quod quisque in animo habet aut habiturus est sciunt,  
sciunt id quod in aures rex reginae dixerit,  
sciunt quod Juno fabulata est cum Jove ;  
quae neque futura, neque facta, illi tamen sciunt.  
Falsos' an vero laudent, **culpentes** quem velint, 210  
**non flocci faciunt** : dum illud quod libeat sciant.  
Omnes mortales hunc aiebant Calliclem  
indignum civitate hac esse et vivere,  
bonis qui hunc adolescentem evertisset suis.  
Ego de eorum verbis **famigeratorum** inscius 215  
**prosilui** amicum castigatum innoxium.  
Quod si exquiratur usque ab **stirpe auctoritas**,  
unde quidquid auditum dicant, nisi id adpareat,  
famigeratori res sit cum damno et malo :  
hoc ita si fiat, publico fiat bono. 220  
Pauci sint faxim qui sciant quod nesciunt :  
occlusioremque habeant **stultiloquentiam**.

*Une fois Mégaronide sorti de scène, le jeune Lysitélès, ami du dépensier Lesbonicus, émet des considérations philosophiques sur les options de vie : faut-il choisir une existence de débauche, dans laquelle on dilapide inconsidérément les biens familiaux, ou bien une existence posée et ménagère des biens de ses parents ? Quant à lui, il penche pour cette seconde solution, et son père Philton, qui le rejoint sur la place publique, l'encourage fortement à persévérer dans son choix. Mais le fils a une demande à faire à son géniteur, qui l'accueille avec bienveillance :*



**Sans dot !** (*Trinummus II, II*)

<b>PHILTO</b>	Non, edepol, tibi pernegare possum quidquam quod velis. Cui egestatem tolerari vis ? Eloquere audacter patri.	
<b>LYSITELES</b>	Lesbonico huic adulescenti, Charmidei filio, qui illic habitat.	
<b>PHILTO</b>	<b>Quin comedit</b> quod fuit, quod non fuit ?	360
<b>LYSITELES</b>	Ne <b>opprobra</b> , pater : multa eveniunt homini quae volt, quae nevolt.	
<b>PHILTO</b>	<b>Mentire</b> , edepol, nate, atque id nunc facis haud consuetudine. Nam sapiens quidem pol ipse fingit fortunam sibi : eo non multa quae nevolt eveniunt, nisi <b>factor</b> malus siet.	
<b>LYSITELES</b>	Multa illi opera opu'st <b>ficturae</b> , qui se fictorem probum vitae agundae esse expetit : sed hic <b>admodum</b> adulescentulus.	365
<b>PHILTO</b>	Non aetate, verum ingenio <b>apiscitur</b> sapientia. Sapienti aetas <b>condimentum</b> 'st ; sapiens aetati cibo'st. Agedum, eloquere, quid dare illi nunc vis?	
<b>LYSITELES</b>	Nihil quidquam, pater. Tu modo ne me prohibeas accipere, si quid det mihi.	370
<b>PHILTO</b>	An eo egestatem ei tolerabis, si quid ab illo acceperis ?	
<b>LYSITELES</b>	Eo, pater.	
<b>PHILTO</b>	Pol ego istam volo me rationem edoceas.	
<b>LYSITELES</b>	Licet. Scin' tu illum quo genere natus sit?	
<b>PHILTO</b>	Scio, <b>adprime</b> probo.	
<b>LYSITELES</b>	Soror illi est adulta, virgo grandis : eam cupio, pater, ducere uxorem sine dote.	
<b>PHILTO</b>	Sine dote uxorem?	
<b>LYSITELES</b>	Ita ; tua re salva hoc <b>pacto</b> ab illo summam inibis gratiam, neque commodius ullo pacto ei poteris auxiliarier.	375
<b>PHILTO</b>	Egone indotatam te uxorem ut patiar ?	
<b>LYSITELES</b>	Patiendum'st, pater ; et eo pacto addideris nostrae <b>lepidam</b> famam familiae.	
<b>PHILTO</b>	Multa ego possum docta dicta et <b>quamvis facunde</b> loqui :	380

historiam veterem atque antiquam haec mea senectus sustinet ;  
verum ego quando te et amicitiam et gratiam in nostram domum  
video **adlicere**, etsi adversatus tibi fui, **istac** judico ;  
tibi permitto, posce, duce.

**LYSITELES**

Di te servassint mihi !

Sed adde ad istam gratiam unum.

**PHILTO**

Quid id est autem unum ?

**LYSITELES**

Eloquar. 385

Tute ad eum adeas, tute concilies, tute poscas.

**PHILTO**

**Eccere.**

**LYSITELES**

**Nimio** citius **transiges** : firmum omne erit quod tu egeris.

Gravius tuum erit unum verbum ad eam rem quam centum mea.

**PHILTO**

Ecce autem in **benignitate** hoc repperi : negotium.

dabitur opera.

**LYSITELES**

Lepidus vivis ; haec sunt aedes, hic habet ;

390

Lesbonico est nomen : age, rem cura ; ego te **opperiar** domi.



Devant la maison des vieillards (**Le Forum en Folie** de Richard Lester)

# Plaute

## Séance 2

### Les trois écus

Extraits de la suite de la pièce

*Trinummus*



Miles Gloriosus entre dans la ville (**Le Forum en Folie** de Richard Lester)

## **Un champ maudit** (*Trinummus II, IV*)

*Se rangeant à la demande de son fils, Philto va faire la demande à Lesbonicus, mais Stasimus, l'esclave de ce dernier, cherche à interférer dans la transaction :*

<b>PHILTO</b>	Sine dote posco tuam sororem filio. Quae res bene vertat ! Habeon' <b>pactam</b> ? Quid taces ?	500
<b>STASIMUS</b>	Pro di immortales, condicionem cujus modi !	
<b>PHILTO</b>	Quin <b>fabulare</b> : "Di bene vertant, <b>spondeo</b> " ?	
<b>STASIMUS</b>	<b>Eheu</b> , ubi nihil erat dicto usus, "spondeo" dicebat ; nunc hic, quom opus est, non quit dicere.	
<b>LESBONICUS</b>	Quom <b>adfinitate</b> vestra me arbitramini dignum, habeo vobis, Philto, magnam gratiam. Sed si haec res graviter cecidit stultitia mea, Philto, est ager sub urbe hic nobis : eum dabo dotem sorori ; nam is de stultitia mea solus <b>superfit</b> praeter vitam reliquus.	505      510
<b>PHILTO</b>	Profecto dotem <b>nil moror</b> .	
<b>LESBONICUS</b>	<b>Certum'st</b> dare.	
<b>STASIMUS</b>	Nostramne, <b>ere</b> , vis nutricem, quae nos <b>educat</b> , <b>abalienare</b> a nobis ? <b>Cave, sis</b> , feceris. Quid <b>edemus</b> nosmet postea ?	
<b>LESBONICUS</b>	Etiam tu taces ? Tibi ego <b>rationem</b> reddam ?	
<b>STASIMUS</b>	( <i>En aparté</i> ) Plane periimus, 515 nisi quid ego <b>comminiscor</b> . ( <i>Haut</i> ) Philto, te volo.	
<b>PHILTO</b>	Si quid vis, Stasime.	
<b>STASIMUS</b>	Huc concede aliquantum.	
<b>PHILTO</b>	<b>Licet</b> .	
<b>STASIMUS</b>	<b>Arcano</b> tibi ego hoc dico, ne ille ex te sciat, neve alius quisquam.	
<b>PHILTO</b>	<b>Crede</b> audacter quid libet.	
<b>STASIMUS</b>	Per deos atque homines dico, ne tu illunc agrum tuum <b>siris</b> unquam fieri neque nati tui.	520



Ei rei argumenta dicam.

**PHILTO**

Audire, edepol, libet.

**STASIMUS**

Primum omnium, olim terra quom **proscinditur**,  
in quinto quoque **sulco** moriuntur boves.

**PHILTO**

**Apage.**

**STASIMUS**

Acheruntis ostium in nostro'st agro.

525

Tum **vinum** priusquam **coctum'st** pendet **putidum**.

**LESBONICUS**

*(En aparté)* Consuadet homini, credo. Etsi scelestus est,  
at mi infidelis non est.

**STASIMUS**

Audi cetera.

Post id, frumenti quom alibi messis maxima'st,

**tribus tantis** illic **minus** redit, quam **obseveris**.

530

**PHILTO**

Hem, istic oportet obseri mores malos,  
si in obserendo possint **interfieri**.

**STASIMUS**

Neque umquam quisquam'st cujus ille ager fuit

quin pessime ei res verterit : quorum fuit,

alii exulatum abierunt, alii emortui,

535

alii se suspendere. Em nunc hic cujus est

ut **ad incitas redactus !**

**PHILTO**

Apage a me istum agrum.

**STASIMUS**

Magis "apage" dicas, si omnia ex me audiveris.

Nam **fulguritae** sunt alternae arbores.

Sues moriuntur angina acerrime.

540

Oves **scabrae** sunt, tam **glabrae**, em, quam haec est manus.

Tum autem **Syrorum**, genus quod patientissimum'st

hominum, nemo **exstat**, qui ibi sex menses vixerit :

ita cuncti **solstitiali** morbo decidunt.

**PHILTO**

Credo ego istuc, Stasime, ita esse ; sed **Campans** genus 545  
multo Syrorum jam **antidit** patientia.

Sed iste est ager profecto, ut te audivi loqui,  
malos in quem omnes publice mitti decet.

Sicut fortunatorum memorant insulas,

quo cuncti, qui aetatem egerint caste suam

550

convenient ; contra istuc **detrudi** maleficos

aequum videtur, **qui** quidem istius sit modi.

**STASIMUS** Hospitium'st calamitatis : quid verbis opu'st ?  
**Quamvis malam rem** quaeras, illic reperias.

**PHILTO** (*ironiquement*) At tu, hercle, et illic et alibi.

**STASIMUS** Cave, sis, dixeris 555  
me tibi dixisse hoc.

**PHILTO** Dixisti arcano satis.

**STASIMUS** **Quin** hic quidem cupit illum ab se abalienarier,  
siquidem reperiri possit, cui **os sublinat**.

**PHILTO** Meus quidem, hercle, nunquam fiet.

**STASIMUS** Si sapies quidem. (*En aparté*)  
**Lepide**, hercle, de agro ego hunc senem deterrui ; 560  
nam **qui** vivamus nihil est, si illum amiserit.

**PHILTO** Redeo ad te, Lesbonice.

**LESBONICUS** Dic, sodes, mihi.  
Quid hic est locutus tecum ?

**PHILTO** Quid censes ? Homo'st :  
vult fieri liber ; verum, quod det, non habet.

**LESBONICUS** Et ego esse locuples, verum nequiquam volo. 565

**STASIMUS** Licitum si velles ; nunc, quom nihil est, non licet.

**LESBONICUS** Quid tecum, Stasime ?

**STASIMUS** De istoc quod dixti modo :  
si ante voluisses, esses ; nunc sero cupis.

**PHILTO** De dote mecum convenire nihil potest :  
quid tibi libet tute **agito** cum nato meo. 570  
Nunc tuam sororem filio posco meo.  
Quae res bene vertat ! Quid nunc ? Etiam consulis ?

**LESBONICUS** **Quid istic ?** Quando ita vis, di bene vertant ! **Spondeo**.

**PHILTO** Numquam, edepol, cuiquam tam exspectatus filius  
natus quam illuc "Spondeo" natum mihi. 575

**STASIMUS** Di **fortunabunt** vestra consilia !

**PHILTO** Ita volo.

**LESBONICUS** Sed, Stasime, abi huc ad meam sororem ad Calliclem ;  
dic hoc negoti quo modo actum'st.

**STASIMUS** Ibitur.  
**LESBONICUS** Et gratulator meae sorori.  
**STASIMUS** Scilicet.  
**PHILTO** I **hac**, Lesbonice, mecum ut **coram** nuptiis 580  
dies constituatur ; eadem haec confirmabimus.  
**LESBONICUS** Tu istuc cura quod jussi. Ego jam hic ero.  
**STASIMUS** I modo.  
**LESBONICUS** Dic Callicli me ut conveniat.  
**STASIMUS** Quin tu i modo.  
**LESBONICUS** De dote ut videat quid opus sit facto.  
**STASIMUS** I modo.  
**LESBONICUS** Nam certum'st sine dote haud dare.  
**STASIMUS** Quin tu i modo. 585  
**LESBONICUS** Neque enim **illi** damno umquam esse patiar...  
**STASIMUS** Abi modo !  
**LESBONICUS** Meam neglegentiam.  
**STASIMUS** I modo.  
**LESBONICUS** Nullo modo  
aequum videtur quin quod peccarim...  
**STASIMUS** I modo !  
**LESBONICUS** Potissimum mi id obsit.  
**STASIMUS** I modo.  
**LESBONICUS** O pater,  
en umquam adpiciam te ?  
**STASIMUS** I modo, i modo, i modo ! 590  
(*En aparté*) Tandem impetravi abiret. Di vestram fidem !  
Edepol, re gesta pessime gestam probe,  
siquidem ager nobis salvus est ! Etsi admodum  
in ambiguo'st etiam nunc quid ea re **fuat**.  
Sed id si alienatur, actum'st de **collo** meo, 595  
gestandust **peregre** clipeus, galea, sarcina :  
effugiet ex urbe, ubi erunt factae nuptiae ;  
**ibit** istac aliquo, **in** maximam **malam crucem**  
**latrocinatum**, aut in Asiam, aut in Ciliciam.

Ibo huc, quo mi imperatum'st, etsi odi hanc domum, 600  
postquam **exturbavit** hic nos ex nostris aedibus.

### **Une ruse subtile** (*Trinummus III, III*)

*Tandis que Lysitèlès et Lesbonicus campent sur leurs positions, celui-ci insistant pour donner son champ comme dot pour sa sœur et celui-là refusant, Calliclès réfléchit avec Mégaronide à un moyen de doter lui-même la future épousée secrètement, mais il craint que sa ruse ne soit éventée :*

**MEGARONIDES** Sed vide consilium si placet.

**CALLICLES** Quid consili'st ?

**MEGARONIDES** **Scitum**, ut ego opinor, consilium inveni.

**CALLICLES** Quid est ?

**MEGARONIDES** Homo **conducatur** aliquis **jam quantum potest**, 765  
quasi sit **peregrinus**.

**CALLICLES** Quid is scit facere postea ?

**MEGARONIDES** Is homo **exornetur graphice** in peregrinum modum ;  
ignota facie quae hic non **visitata** sit,  
**mendacilocum** aliquem oportet hominem deligi,  
**falsidicum, confidentem**.

**CALLICLES** Quid tum postea ? 770

**MEGARONIDES** Quasi ad adolescentem a patre ex Seleucia  
veniat, salutem ei nuntiet verbis patris :  
illum bene gerere rem et valere et vivere  
et eum rediturum **actutum**. Ferat epistulas  
duas ; eas nos **consignemus**, quasi sint a patre. 775  
Det alteram illi, alteram dicat tibi  
dare sese velle.

**CALLICLES** Perge porro dicere.

**MEGARONIDES** Seque aurum ferre virgini dotem a patre  
dicat patremque id jussisse aurum tibi dare.  
Tenes jam ?



**CALLICLES** **Propemodum**, atque ausculto perlibens. 780

**MEGARONIDES** Tum igitur demum adolescenti aurum dabis  
ubi erit locata virgo in matrimonium.

**CALLICLES** Scite hercle sane !

**MEGARONIDES** Hoc ubi thesaurum effoderis,  
suspicionem ab adolescente amoveris.  
Censebit aurum esse a patre allatum tibi ; 785  
Tu de thesauro sumes.

**CALLICLES** Satis scite et probe,  
quamquam **hoc** me **aetatis sycophantari** pudet.  
Sed epistulas quando **obsignatas** afferet,  
nonne arbitraris tum adolescentem anuli  
paterni signum novisse ?

**MEGARONIDES** Etiam tum taces ? 790  
**Sescentae** ad eam rem causae possunt colligi :  
illum quem habuit perdidit, alium post fecit novum.  
Jam si obsignatas non feret, dici hoc potest  
apud **portitores** eas **resignatas** sibi  
inspectasque esse. In hujus modi negotio 795  
diem sermone **terere segnities mera**'st,  
quamvis sermones possunt longi **texier**.  
Abi ad thesaurum jam confestim **clanculum** ;  
servos, ancillas **amove**. Atque audin ?

**CALLICLES** Quid est ?

**MEGARONIDES** Uxorem quoque eampse hanc rem uti **celes** face. 800  
Nam **pol** tacere numquam quicquam'st quod queat.  
Quid nunc stas ? Quin te amoves et te moves ?  
Aperi, **deprome** inde auri ad hanc rem quod sat est ;  
continuo **operito denuo** ; sed clanculum ;  
sicut praecepi, cunctos **exturba** aedibus. 805

**CALLICLES** Ita faciam.

**MEGARONIDES** At enim nimis longo sermone utimur ;  
diem conficimus, cum jam properato'st opus.  
Nihil est de signo quod **vereare** ; me vide.

**Lepida** illa'st causa, ut commemoravi, dicere  
apud portitores esse inspectas. Denique 810  
diei tempus non vides ? Quid **illum** putas,  
natura illa et ingenio ? **Jam dudum** ebriu'st.  
Quidvis probari ei poterit : tum, quod maximum'st,  
adferre, non petere **hic** dicet.

**CALLICLES** Jam sat est.

**MEGARONIDES** Ego sycophantam jam **conduco** de foro 815  
epistulasque jam consignabo duas  
eumque huc ad adulescentem **meditatum** probe  
mittam.

**CALLICLES** Eo ego igitur intro ad officium meum :  
tu istuc age.

**MEGARONIDES** Actum reddam **nugacissime**.



Domina au marché aux esclaves (**Le Forum en Folie** de Richard Lester)

# Plaute

## Séance 3

### Les trois écus

#### Extraits de la fin de la pièce

##### *Trinummus*

##### **Le sycophante** (*Trinummus IV, II*)

*Comme il avait été convenu avec Mégaronide, Calliclès a engagé un individu qui doit participer à la ruse. Il lui a confié les lettres et l'argent. Mais voilà qu'il se passe quelque chose d'inattendu : Charmidès, le père de Lesbonicus, du retour duquel on désespérait, est finalement revenu riche et surprend le sycophante devant sa maison :*

**SYCOPHANTA** Huic ego diei nomen Trinummo facio ; nam ego **operam** meam  
tribus nummis hodie **locavi** ad artes **nugatorias** [...] 845

*Le sycophante, qui n'a par vu Charmidès, va frapper à la porte de la maison :*

**SYCOPHANTA** Aperite hoc, aperite. Heus, ecquis his **foribus tutelam** gerit ? 870

**CHARMIDES** Quid, adulescens, quaeris ? Quid vis ? Quid istas **pultas** ?

**SYCOPHANTA** Heus, senex, [...]

Lesbonicum hic adulescentem quaero, in his regionibus

ubi habitet, et item alterum ad istanc capitis **albitudinem** ;  
Calliclem aiebat vocari qui has dedit mihi espistulas. 875

**CHARMIDES** (*À part*) Meum **natum** hic quidem Lesbonicum quaerit et amicum meum,  
cui ego liberosque bonaque **commendavi**, Calliclem.

**SYCOPHANTA** Fac me, si scis, certiozem **hisce** homines ubi habitent, pater.

**CHARMIDES** Quid eos quaeris ? Aut quis es ? Aut unde es ? Aut unde advenis ?

**SYCOPHANTA** Multa simul rogitas ; nescio quid **expediam** potissimum. 880  
Si unum quidquid **singillatim** et placide **percontabere**,  
et meum nomen et mea facta et itinera ego **faxo** scias.

**CHARMIDES** Faciam ita ut vis ; agedum, nomen tuum primum memora mihi.

**SYCOPHANTA** Magnum facinus **incipissis** petere.

**CHARMIDES** Quid ita ?

**SYCOPHANTA** Quia, pater,  
si ante lucem ire **occipias** a meo primo nomine, 885  
**concupium** sit **noctis** priusquam ad postremum perveneris.

**CHARMIDES** Opus **facto**'st **viatico** ad tuum nomen, ut tu praedicas.

**SYCOPHANTA** Est minusculum alterum, quasi **vexillum vinarium**.

**CHARMIDES** Quid est tibi nomen adulescens ?

**SYCOPHANTA** "Pax", id est nomen mihi :  
hoc cotidianum'st.

**CHARMIDES** Edepol nomen nugatorium ! 890

Quasi dicas, si quid crediderim tibi, "pax" periisse ilico.

(*À part*) Hic homo solide sycophanta'st. (*Haut*) Quid ais tu,  
adulescens ?

**SYCOPHANTA** Quid est ?

**CHARMIDES** Eloquere, isti tibi quid homines debent quos tu quaeritas ?

**SYCOPHANTA** Pater istius adulescentis dedit has duas mihi epistulas,  
Lesbonici : is mihi'st amicus.

**CHARMIDES** (*À part*) Teneo hunc manifestarium ; 895  
me sibi epistulas dedisse dicit. Ludam hominem probe.

**SYCOPHANTA** Ita ut ocepi, si animum advertas, dicam.

**CHARMIDES** Dabo operam tibi.

**SYCOPHANTA** Hanc me iussit Lesbonico suo nato dare epistulam,  
et item hanc alteram suo amico Callicli iussit dare.

**CHARMIDES** (*À part*) Mihi quoque edepol, cum hic **nugatur**, contra nugari libet. 900  
*(Haut)* Ubi ipse erat ?

**SYCOPHANTA** Bene rem gerebat.

**CHARMIDES** Ergo ubi ?

**SYCOPHANTA** In Seleucia.

**CHARMIDES** Ab ipson istas accepisti ?

**SYCOPHANTA** E manibus dedit mi ipse in manus.

**CHARMIDES** Qua facie est homo ?

**SYCOPHANTA** **Sesquipede** quidam'st quam tu longior.

**CHARMIDES** (*À part*) **Haeret haec res**, si quidem ego absens sum quam praesens longior.  
*(Haut)* Novistin hominem ?

**SYCOPHANTA** Ridicule rogitas, quocum una cibum 905  
capere soleo.

**CHARMIDES** Quid est ei nomen ?

**SYCOPHANTA** Quod edepol homini probo.

**CHARMIDES** Libet audire.

**SYCOPHANTA** Illi edepol... illi... illi... vae misero mihi !

**CHARMIDES** Quid est negoti ?

**SYCOPHANTA** Devoravi nomen imprudens modo.

**CHARMIDES** Non placet qui amicos intra dentes conclusos habet.

**SYCOPHANTA** Atque etiam modo versabatur mihi in **labris** primoribus. 910

**CHARMIDES** (*À part*) Tempori huic hodie anteveni.

**SYCOPHANTA** Teneor manifesto miser.

**CHARMIDES** Jam **recommentatu's** nomen ?

**SYCOPHANTA** Deum hercle me atque hominum pudet.

**CHARMIDES** Vide modo ut hominem noveris.

**SYCOPHANTA** Tamquam me. Fieri istuc solet ;  
Quod in manu teneas atque oculis videas, **id desideres**.  
Litteris **comminiscar** : "C" est principium nomini. 915

**CHARMIDES** Callias ?

**SYCOPHANTA** Non est.

**CHARMIDES** Callipus ?

**SYCOPHANTA** Non est.

CHARMIDES Callidemides ?

SYCOPHANTA Non est.

CHARMIDES Callinicus ?

SYCOPHANTA Non est.

CHARMIDES Callimarchus ?

SYCOPHANTA **Nil agis ;**  
**neque** adeo edepol **flocci faccio**, quando egomet memini mihi.

CHARMIDES At enim multi Lesbonici sunt hic. Nisi nomen patris  
dices, non monstrare istos possum homines quos tu quaeritas. 920  
Quod ad exemplum'st ? Conjectura si reperire possumus.

SYCOPHANTA Ad hoc exemplum est : "Char".

CHARMIDES An Chares ? An Charmides ?

SYCOPHANTA Enim Charmides.  
Em, istic erit. Qui istum di perdant !

CHARMIDES Dixi ego jamdudum tibi :  
Te potius bene dicere aequum'st homini amico quam male.

SYCOPHANTA Satin inter labra atque dentes latuit vir minimi preti ? 925

CHARMIDES Ne male loquere absentis amico.

SYCOPHANTA Quid ergo ille ignavissimus  
mihi latitabat ?

CHARMIDES Si appellasses, respondisset nomini.  
Sed ipse ubi est ?

SYCOPHANTA Pol illum reliqui ad Rhadamantem in **Cercopia** insula.

CHARMIDES (*À part*) Quis homo'st me insipientior qui ipse egomet ubi sim quaeritem ?  
Sed nil **disconducit** huic rei. (*Haut*) Quid ais ? Quid hoc quod te rogo ?  
Quos locos adisti ?

SYCOPHANTA Nimium **mirimodis** mirabiles. 931

CHARMIDES Libet audire, nisi molestum'st.

SYCOPHANTA **Quin discupio** dicere.  
Omnium primum in Pontum advecti Arabiam terram sumus.

CHARMIDES Eho, an etiam Arabia'st in Ponto ?

SYCOPHANTA Est ; non illa ubi **tus** gignitur,  
sed ubi absinthium fit atque **cunila gallinacea**. 935

CHARMIDES (*À part*) Nimium **graphicum** hunc nugatorem ! Sed ego sum insipientior,



qui egomet unde redeam hunc rogitem, quae ego sciam atque hic nesciat ;  
nisi quia libet experiri quo **evasurus**'t denique.

(Haut) Sed quid ais ? Quo inde isti porro ?

**SYCOPHANTA**

Si animum advertes, eloquar :

Ad caput amnis qui de caelo exoritur sub **solio** Jovis. 940



Le "trône" de Zeus, au sommet du Mont Olympe, vu depuis Litochoro (photo de Claude Aubert, 18.9.2009)

**CHARMIDES** Sub solio Jovis ?

**SYCOPHANTA** Ita dico

**CHARMIDES** E caelo ?

**SYCOPHANTA** Atque e medio quidem.

**CHARMIDES** Eho, an etiam in caelum **escendisti** ?

**SYCOPHANTA** Immo **horiola** advecti sumus  
**usque** aqua adversa per amnem.

**CHARMIDES** Eho, an tu etiam vidisti Jovem ?

**SYCOPHANTA** Alii di **isse** ad villam aiebant servis **depromptum** cibum.

Deinde **porro**...

**CHARMIDES** Deinde porro nolo quicquam praedices. 945

**SYCOPHANTA** Taceo hercle, si es molestus.

**CHARMIDES** Nam pudicum neminem

**praedicare** oportet qui ab terra ad caelum pervenerit.

**SYCOPHANTA** Faciam ita ut te velle video. Sed monstra hosce homines mihi quos ego quaero, quibus me oportet has deferre epistulas.

**CHARMIDES** Quid ais ? Tu nunc si forte eumpse Charmidem conspexeris, illum quem tibi istas dedisse **commemor**as epistulas, 951 norisne hominem ?

**SYCOPHANTA** **Ne** tu me edepol arbitrare beluam, qui quidem non novisse possim quicum aetatem **exegerim**.

An ille tam esset stultus qui mille **nummum** crederet

**Philippum**, quod me aurum deferre jussit ad natum suum 955 atque ad amicum Calliclem, cui rem aiebat **mandasse** hic suam.

Mihi concrederet, ni me ille et ego illum novissem **approbe** ?

**CHARMIDES** (*À part*) Enim vero ego nunc sycophantae huic sycophantari volo si hunc possum illo mille nummum Philippum **circumducere**, quod sibi me dedisse dixit. Quem ego qui sit homo nescio, 960 neque oculis ante hunc diem umquam vidi, eine aurum crederem ? Cui, **si capitis res sit**, nummum numquam credam plumbeum. Aggrediendus't hic homo mi astu. (*Haut*) Heus, Pax, te tribus verbis volo.

**SYCOPHANTA** Vel trecentis.

**CHARMIDES** Haben tu id aurum quod accepisti a Charmide ?

**SYCOPHANTA** Atque etiam Philippum, numeratum illius in **mensa** manu, 965 mille nummum.

**CHARMIDES** Nempe ab ipso id accepisti Charmide ?

**SYCOPHANTA** Mirum quin ab **avo** ejus aut **proavo** acciperem, qui sunt mortui.

**CHARMIDES** Adulescens, **cedodum** istuc aurum mihi.

**SYCOPHANTA** Quod ego aurum dem tibi ?

**CHARMIDES** Quod a me te accepisse fassu's.

**SYCOPHANTA** Abs te accepisse ?

**CHARMIDES** Ita loquor.

**SYCOPHANTA** Quis tu homo es ?



CHARMIDES Qui mille nummum tibi dedi, ego sum Charmides. 970

SYCOPHANTA Neque edepol tu is es neque hodie is umquam eris, auro huic quidem.  
Abi sis, **nugator** ; nugari nugatori postulas.

CHARMIDES Charmides ego sum.

SYCOPHANTA **Nequiquam** hercle's : nam nil auri fero.  
Nimis **argute** me **obrepsisti** in eapse occasiuncula :  
postquam ego me aurum ferre dixi, post tu factu's Charmides ; 975  
prius tu non eras quam auri feci mentionem. Nil agis.  
Proin tu te, **itidem ut** charmidatus es, rursus recharmida.

CHARMIDES Quis ego sum igitur, siquidem is non sum qui sum ?

SYCOPHANTA Quid id ad me attinet ?  
Dum ille ne sis quem ego esse nolo, sis mea causa qui libet.  
Prius non is eras qui eras ; nunc is factu's qui tum non eras. 980

CHARMIDES Age si quid agis.

SYCOPHANTA Quid ego agam ?

CHARMIDES Aurum redde.

SYCOPHANTA Dormitas, senex.

CHARMIDES Fassu's Charmidem dedisse aurum tibi.

SYCOPHANTA Scriptum quidem.

CHARMIDES Properas an non properas abire **actutum** ab his regionibus,  
dormitator, priusquam ego hic te jubeo **mulcari** male. 984

SYCOPHANTA Quam ob rem ?

CHARMIDES Quia illum quem ementitus es ego sum ipse Charmides,  
quem tibi epistulas dedisse aiebas.

SYCOPHANTA Eho, quaeso, an tu is es ?

CHARMIDES Is enim vero sum.

SYCOPHANTA Ain tu tandem ? Is ipse ne's ?

CHARMIDES Aio.

SYCOPHANTA Ipse es ?

CHARMIDES Ipse, inquam, Charmides sum.

SYCOPHANTA Ergo ipse ne's ?

CHARMIDES Ipsissimus.

Abin hinc ab oculis ?

SYCOPHANTA Enim vero **serio** : quoniam advenis,

**Vapulabis** meo arbitrato et novorum aedilium. 990

**CHARMIDES** At etiam maledicis ?

**SYCOPHANTA**

Immo, salvus quandoquidem advenis,  
di te perdant si te flocci facio an periisses prius.

Ego ob hanc operam argentum accepi ; **te macto infortunio.**

Ceterum qui sis, qui non sis, floccum non interdum.

Ibo ad illum, renuntiabo qui mihi tres nummos dedit, 995  
ut sciat se perdidisse. Ego abeo. Male vive et vale.

Qui di te omnes advenientem peregre perdant, Charmides !

*Finally, tout s'arrange : Calliclès explique à Charmidès ce qu'il a fait pour sauvegarder ses intérêts et sauver ses enfants, Charmidès accepte de donner sa fille en mariage à Lysitèles et se contente, pour punir les frasques de son fils, d'accepter de le marier à la fille de Calliclès !*



Une statue transportée dans les rues de Rome (**Le Forum en Folie** de Richard Lester)

# Plaute

## Séance 4

### Le câble

Extraits du début de la pièce

*Rudens*



Récifs devant Apollonia, le port de Cyrène (photo de Claude Aubert, 11 mars 2007)



## PERSONAE

SCEPARNIO SERVUS DAEMONIS

PLEUSIDIPPUS ADULESCENS

DAEMONES SENEX

PALAESTRA PUELLA, DAEMONIS FILIA RAPTA

AMPELISCA PUELLA, EJUS SOCIA

TRACHALIO SERVUS PLEUSIDIPPI

LABRAX LENO

CHARMIDES SENEX SICULUS

GRIPUS PISCATOR, SERVUS DAEMONIS

*La scène se passe sur une côte maritime hérissée de rochers, non loin de la ville de Cyrène en Libye actuelle, près d'un petit temple de Vénus, de l'autel qui se trouve devant et de la maison de Charmidès, un vieillard originaire d'Athènes, ruiné parce qu'il s'était montré trop généreux envers ses compatriotes pauvres, et qui avait perdu bien des années auparavant sa fille unique, enlevée par des ravisseurs lorsqu'elle avait trois ans.*

*Par ailleurs, Pleusidippe, un jeune homme amoureux de Palestre, une belle esclave à vendre, l'a achetée au "leno" (le marchand d'esclaves femmes) Labrax, qui, après avoir encaissé l'argent, s'est empressé de s'embarquer pour la Sicile avec ses "marchandises" et Charmidès, un vieillard sicilien de son acabit, sans avoir remis la jeune fille à son amoureux. Mal lui en a pris : tandis que le client dupé l'a suivi en longeant la côte, accompagné de son esclave Trachalion et de quelques amis, une tempête s'est immédiatement déclenchée et, peu après le départ, a fracassé le bateau sur des récifs tout près de la côte et juste devant la demeure où habitent Charmidès et son esclave Scéparnion.*

### **Un naufrage tragique (Rudens I, II)**

**PLEUSIDIPPUS** (À ses amis) Et vos a vestris abduxi negotiis  
neque id processit qua vos duxi gratia, 90  
neque quivi ad portum lenonemprehendere.  
Sed mea **desidia** spem deserere nolui :  
eo vos, amici, detinui diutius.  
Nunc huc ad Veneris fanum venio visere,  
ubi **rem divinam** se facturum dixerat. 95

**SCEPARNIO** Si sapiam, hoc quod me **mactat concinnem lutum.**

<b>PLEUSIDIPPUS</b>	Prope me hic nescio quis loquitur.	
<b>DAEMONES</b>		Heus, Sceparnio.
<b>SCEPARNIO</b>	Qui nominat me ?	
<b>DAEMONES</b>		Qui pro te argentum dedit.
<b>SCEPARNIO</b>	Quasi me tuum esse servum dicas, Daemones.	
<b>DAEMONES</b>	Luto usu'st multo, multam terram <b>confode</b> . Villam <b>integendam</b> intellego totam mihi ; nam nunc <b>perlucet</b> ea quam <b>cribrum crebrius</b> .	100
<b>PLEUSIDIPPUS</b>	<b>Pater</b> , salveto, amboque adeo.	
<b>DAEMONES</b>		Salvus sis.
<b>SCEPARNIO</b>	Sed utrum tu <b>masne</b> an femina es, qui illum patrem voces ?	
<b>PLEUSIDIPPUS</b>	Vir sum equidem.	
<b>SCEPARNIO</b>		Quaere, vir, <b>porro</b> patrem.
<b>DAEMONES</b>	Filiolam ego unam habui, eam unam perdididi. Virile sexus numquam ullum habui.	105
<b>PLEUSIDIPPUS</b>		At di dabunt.
<b>SCEPARNIO</b>	Tibi quidem hercle, quisquis es, magnum <b>malum</b> , qui oratione hic occupatos occupes.	
<b>PLEUSIDIPPUS</b>	Isticine vos habitatis ?	
<b>SCEPARNIO</b>	Quid tu id quaeritas ? An quo <b>furatum</b> mox venias, <b>vestigas</b> loca ?	110
<b>PLEUSIDIPPUS</b>	<b>Peculiosum</b> esse <b>addecet</b> servum et probum, <b>quem ero</b> praesente <b>praetereat oratio</b> ; aut qui <b>inclementer</b> dicat homini libero.	
<b>SCEPARNIO</b>	Et <b>impudicum</b> et impudentem hominem addecet molestum ultro advenire ad alienam domum, cui debeatur nil.	115
<b>DAEMONES</b>		Tace, Sceparnio. (À <i>Pleusidippe</i> ) Quid opu'st, adulescens ?
<b>PLEUSIDIPPUS</b>		<b>Istic infortunium</b> , qui <b>praefestinet</b> , ubi erus adsit, praeloqui. Sed nisi molestum'st, paucis <b>percontarier</b> volo ego ex te.

**DAEMONES** Dabitur opera, atque in negotio.  
**SCEPARNIO** (*À Pleusidippe*) **Quin** tu in paludem is **exsecasque arundinem,**  
**qui pertegamus** villam, dum **sudum**'st ?  
**DAEMONES** Tace.  
 Tu si quid opus est dice.  
**PLEUSIDIPPUS** Dic quod te rogo,  
 ecquem tu hic hominem **crispum, incanum** videris, 125  
 malum, perjurum, **palpatorem** ?  
**DAEMONES** Plurimos,  
 nam ego propter ejus modi viros vivo miser.  
**PLEUSIDIPPUS** Hic dico, in fanum Veneris qui mulierculas  
 duas secum adduxit, quique **adornaret** sibi  
 ut rem divinam faciat, aut hodie aut heri. 130  
**DAEMONES** Non hercle, adulescens, jam hos dies **complusculos**  
 quemquam istic vidi sacrificare, neque potest  
 clam me esse si qui sacrificat : semper petunt  
 aquam hinc aut ignem aut **vascula** aut **cultrum** aut **veru**  
 aut **aulam extarem**, aut aliquid ; quid verbis opu'st ? 135  
 Veneri paravi vasa et **puteum**, non mihi.  
 Nunc intervallum jam hos dies multos fuit.  
**PLEUSIDIPPUS** Ut verba **praehibes**, me periisse praedicas.  
**DAEMONES** Mea quidem hercle causa salvus sis licet.  
**SCEPARNIO** Heus tu, qui **fana** ventris causa circumis, 140  
 jubere meliu'st **prandium ornari** domi.  
 Fortasse tu huc vocatus es ad prandium,  
 ille qui vocavit nullus venit ?  
**PLEUSIDIPPUS** Admodum.  
**SCEPARNIO** Nullum'st periculum te hinc ire **inpransum** domum :  
 Cererem te meliu'st quam Venerem **sectarier** : 145  
 amoris haec curat ; **tritico** curat Ceres.  
**PLEUSIDIPPUS** **Deludificavit** me illic homo indignis modis.  
**DAEMONES** Pro di immortales, **quid illuc** est, Sceparnio,  
**hominum** secundum litus ?  
**SCEPARNIO** Ut mea est opinio,

	<b>propter viam</b> illi sunt vocati ad <b>prandium</b> .	150
<b>DAEMONES</b>	<b>Qui ?</b>	
<b>SCEPARNIO</b>	Quia post <b>cenam</b> , credo, laverunt heri.	
<b>DAEMONES</b>	Confracta navis in mari est illis.	
<b>SCEPARNIO</b>	Ita est.	
	At hercle nobis villa in terra et tegulae.	
<b>DAEMONES</b>	Hui !	
	Homunculi, quanti estis ! Ejecti ut natant.	155
<b>PLEUSIDIPPUS</b>	Ubi sunt ii homines, obsecro ?	
<b>DAEMONES</b>	Hac ad dexteram.	
	Viden secundum litus ?	
<b>PLEUSIDIPPUS</b>	Video. ( <i>À ses amis</i> ) Sequimini.	
	Utinam is sit quem ego quaero, vir <b>sacerrimus</b> !	
	( <i>Aux deux autres</i> ) Valete.	
<b>SCEPARNIO</b>	Si non moneas, nosmet meminimus.	
	Sed, o <b>Palaemon</b> , sancte Neptuni comes,	160
	qui hic <b>Herculis Opitulus</b> esse diceris,	
	quod facinus video.	
<b>DAEMONES</b>	Quid vides ?	
<b>SCEPARNIO</b>	Mulierculas	
	video sedentes in <b>scapha</b> solas duas.	
	Ut <b>adflctantur</b> miserae ! <b>Euge</b> euge, perbene,	
	ab saxo avertit fluctus ad litus scapham,	165
	neque gubernator umquam potuit rectius.	
	Non vidisse undas me majores censeo.	
	Salvae sunt, si illos fluctus <b>devitaverint</b> .	
	Nunc, nunc periculum'st. Unda ejecit alteram.	
	At in <b>vado</b> 'st : jam facile <b>enabit</b> . Eugepae !	170
	Viden alteram illam ut fluctus ejecit foras ?	
	Surrexit, <b>horsum</b> se capessit. Salva res.	
	<b>Desiluit</b> haec autem altera in terram e scapha.	
	Ut prae timore in genua in undas concidit.	
	Salva'st, evasit ex aqua. Jam in litore est.	175
	Sed <b>dextroversum aversa</b> it <b>in malam crucem</b> .	

Hem, errabit illa hodie.

**DAEMONES**

Quid id refert tua ?

**SCEPARNIO**

Si ad saxum quo **capessit**, ea **deorsum** cadit,  
errationis fecerit **compendium**.

180

**DAEMONES**

Si tu de illarum cenaturus **vesperi** es,  
illis curandum censeo, Sceparnio.

Si apud me **esurus**, mihi dari operam volo.

**SCEPARNIO**

Bonum aequumque oras.

**DAEMONES**

Sequere me hac ergo.

**SCEPARNIO**

Sequor.

*Heureusement, les deux jeunes filles, Palestre et Ampélisque, se retrouvent sur la côte, sauvées mais grelottantes, et sont recueillies par la vieille prêtresse du temple de Vénus. Cependant ce gremlin de Labrax, l'entremetteur, accompagné par son comparse Charmidès, a réussi lui aussi à atteindre la rive, mais il a tout perdu : sa valise pleine de richesses et les deux filles, qu'il comptait vendre en Sicile, bien qu'il ait déjà vendu Palestre une première fois à Pleusidippe sans lui avoir remis la "marchandise".*



Le "leno" Lycus présente ses "marchandises" (**Le Forum en Folie** de Richard Lester)



## *Rencontre d'affligés (Rudens II, VI et VII)*

<b>LABRAX</b>	Qui homo sese miserum et mendicum volet, Neptuno credat sese atque aetatem suam : nam si quis cum eo quid rei <b>commiscuit</b> , ad hoc exemplum amittit <b>ornatum</b> domum. Edepol, <b>Libertas, lepida</b> es, quae numquam pedem voluisti in navem cum <b>Hercule</b> una imponere. Sed ubi ille meus est hospes, qui me perdidit ? Atque <b>eccum</b> incedit.	485       490
<b>CHARMIDES</b>	Quo, <b>malum</b> ! properas, Labrax ? Nam equidem te nequeo consequi tam <b>strenue</b> .	
<b>LABRAX</b>	Utinam te prius quam oculis vidissem meis, malo <b>cruciatu</b> in Sicilia <b>perbiteres</b> , quem propter hoc mihi <b>obtigit</b> misero mali !	495
<b>CHARMIDES</b>	Utinam, cum in aedes me ad te adduxisti tuas, in carcere illo potius cubuissem die ! Deosque immortales quaeso, dum vivas, <b>uti</b> omnes tui similes hospites habeas tibi.	500
<b>LABRAX</b>	Malam fortunam in aedes te adduxi meas. Quid mihi scelesto tibi erat <b>auscultatio</b> ? Quidve hinc <b>abitio</b> ? Quidve in navem <b>inscensio</b> ? Ubi perdidisti etiam plus boni quam mihi fuit.	
<b>CHARMIDES</b>	Pol minime miror, navis si fractast tibi, scelus te et sceleste <b>parta</b> quae vexit bona.	505
<b>LABRAX</b>	<b>Pessum dedisti</b> me blandimentis tuis.	
<b>CHARMIDES</b>	Scelestiorem cenam cenavi tuam, quam quae <b>Thyestae</b> quondam aut posita est <b>Tereo</b> .	
<b>LABRAX</b>	Perii, <b>animo male fit</b> . Contine quaeso caput.	510
<b>CHARMIDES</b>	<b>Pulmoneum</b> edepol nimis velim vomitum vomas.	
<b>LABRAX</b>	Eheu, Palaestra atque Ampelisca, ubi estis nunc ?	
<b>CHARMIDES</b>	Piscibus in alto, credo, praebent pabulum.	
<b>LABRAX</b>	Mendicitatem mi obtulisti opera tua, dum tuis ausculto magnidicis mendaciis.	515

CHARMIDES	Bonam <b>est quod habeas</b> gratiam merito mihi, qui te <b>ex insulso salsum</b> feci opera mea.	
LABRAX	Quin tu hinc is a me in maxumam malam crucem ?	
CHARMIDES	Eas. Easque res agebam <b>commodum</b> .	
LABRAX	Eheu, quis vivit me mortalis miserior ?	520
CHARMIDES	Ego multo tanto miserior quam tu, Labrax.	
LABRAX	<b>Qui ?</b>	
CHARMIDES	Quia ego indignus sum, tu dignus qui sis.	
LABRAX	O <b>scirpe</b> , scirpe, laudo fortunas tuas, qui semper servas gloriam <b>aritudinis</b> .	
CHARMIDES	Equidem me ad <b>velitationem</b> exerceo, nam omnia <b>corusca</b> prae <b>tremore</b> fabulor.	525
LABRAX	Edepol, Neptune, es <b>balineator</b> frigidus : cum vestimentis postquam abs te abii, al- <b>algeo</b> .	
CHARMIDES	Ne <b>thermopolium</b> quidem ullum instruit, ita salsam praebet potionem et frigidam.	530
LABRAX	Ut fortunati sunt <b>fabri ferrarii</b> , qui apud carbones adsident : semper <b>calent</b> .	
CHARMIDES	Utinam fortuna nunc <b>anatina</b> ut-uterer, ut, cum exiissem ex aqu-aqu-aqu-aqua, <b>arerem</b> tamen.	
LABRAX	Quid si aliquo ad ludos me pro <b>manduco locem</b> ?	535
CHARMIDES	Quapropter ?	
LABRAX	Quia pol <b>clare</b> crepito dentibus.	
CHARMIDES	Jure optimo <b>me</b> el-el- <b>elavisse</b> arbitror.	
LABRAX	Qui ?	
CHARMIDES	Qui-quia auderem tecum in navem ascendere, qui a fundamento mihi usque movisti mare.	
LABRAX	Tibi auscultavi, tu promittebas mihi <b>illi</b> esse quaestum maximum <b>meretricibus</b> , ibi me <b>corruere</b> posse aiebas divitias.	540
CHARMIDES	Jam <b>postulabas</b> te, impurata <b>belua</b> , totam Siciliam devoraturum insulam ?	
LABRAX	Quaenam ballaena meum voravit <b>vidulum</b> , aurum atque argentum ubi omne <b>compactum</b> fuit ?	545

**CHARMIDES** Eadem illa, credo, quae meum **marsuppium**,  
quod plenum argenti fuit in **sacciperio**.

**LABRAX** Eheu, **redactus** sum usque ad unam hanc tuniculam  
et ad hoc misellum **pallium**. Perii **oppido**. 550

**CHARMIDES** Vel consociare mihi quidem tecum licet :  
aequas habemus partes.

**LABRAX** **Saltem** si mihi  
mulierculae essent salvae, spes aliquae forent.  
Nunc si me adulescens Pleusidippus viderit,  
**quo ab arrabonem** pro Palaestra acceperam, 555  
jam is **exhibebit** hic **mihi negotium**.

**CHARMIDES** Quid, stulte, ploras ? Tibi quidem edepol copia'st,  
dum lingua vivet, **qui** rem solvas omnibus.

*Mais voilà que, sans voir les deux vieillards, Scéparnion sort du temple de Vénus, où il était allé apporter de l'eau.*

**SCEPARNIO** Quid illuc, obsecro, negoti'st quod duae mulierculae  
hic in fano Veneris **signum** flentes amplexae tenent, 560  
nescio quem metuentes miserae ? Nocte hac aiunt proxima  
se **jactatas**, atque ejectas hodie esse aiunt e mari.

**LABRAX** Obsecro hercle, adulescens, ubi istaec sunt quas memoras mulieres ?

**SCEPARNIO** Hic in fano Veneris.

**LABRAX** Quot sunt ?

**SCEPARNIO** Totidem quot ego et tu sumus.

**LABRAX** **Nempe** meae ?

**SCEPARNIO** Nempe nescio istuc.

**LABRAX** Qua sunt facie ?

**SCEPARNIO** **Scitula** .565  
Vel ego amare utramvis possum, si **probe adpotus** sim.

**LABRAX** Nempe puellae ?

**SCEPARNIO** Nempe molestus es. I vise, si libet.

**LABRAX** Meas oportet intus esse hic mulieres, mi Charmides.

**CHARMIDES** Juppiter te perdat, et si sunt, et si non sunt tamen.

**LABRAX** Intro **rumpam** jam huc in Veneris fanum. 570

# Plaute

## Séance 5

### Le câble

Extraits de la suite de la pièce

*Rudens*



Hero et Pseudole cachés dans un arbre (**Le Forum en Folie** de Richard Lester)

## ***Pauvres éplorées*** (*Rudens III, II*)

*Quittant sa maison, Démonès surprend Trachalion qui vient de sortir du temple de Vénus en poussant des cris terribles et il s'en étonne...*

<b>DAEMONES</b>	Quid negoti'st ?	
<b>TRACHALIO</b>	Mulieres	641
	duae innocentes intus hic sunt, tui <b>indigentes</b> auxili, quibus adversum jus legesque <b>insignite</b> injuria hic facta est fitque in Veneris fano ; tum sacerdos Veneria indigne <b>adflctatur</b> .	
<b>DAEMONES</b>	Quis homo est tanta confidentia,	645
	qui sacerdotem violare audet ? Sed eae mulieres quae sunt ? Aut quid eis iniqui fit ?	
<b>TRACHALIO</b>	Si das operam, eloquar. Veneris signum sunt amplexae. Nunc homo audacissimus eas deripere vult. Eas ambas esse oportet liberas.	
<b>DAEMONES</b>	Quis istic est qui deos tam <b>parvi pendit</b> ? <b>Paucis</b> expedi.	650
<b>TRACHALIO</b>	Fraudis, sceleris, parricidi, perjuri plenissimus, legirupa, impudens, impurus, <b>inverecundissimus</b> , uno verbo absolvam, leno'st : <b>quid illum porro praedicem</b> ?	
<b>DAEMONES</b>	Edepol <b>infortunio</b> hominem praedicas donabilem.	
<b>TRACHALIO</b>	Qui sacerdoti scelestus <b>fauces interpresserit</b> .	655
<b>DAEMONES</b>	At malo cum magno suo fecit hercle. Ite istinc foras, Turbalio, Sparax. Ubi estis ?	
<b>TRACHALIO</b>	I obsecro intro, subveni illis.	
<b>DAEMONES</b>	Iterum haud imperabo. <b>Sequimini</b> hac.	
<b>TRACHALIO</b>	Age nunc jam, jube oculos <b>elidere</b> , itidem ut <b>sepiis</b> faciunt coqui.	
<b>DAEMONES</b>	Proripite hominem pedibus huc itidem quasi occisam suem. 660	
<b>TRACHALIO</b>	( <i>Seul</i> ) Audio tumultum : opinor, leno <b>pugnis pectitur</b> . Nimis velim improbissimo homini malas edentaverint. Sed ecce ipsae huc egrediuntur timidae e fano mulieres.	

## **La reconnaissance merveilleuse** (*Rudens III, IV*)

*Tandis que les jeunes filles se réfugient vers l'autel de Vénus, Démonès et ses hommes forcent Labrax à sortir du temple.*

**DAEMONES** Exi e fano, natum **quantum** est **hominum** sacrilegissime.  
(*Aux deux femmes*) Vos in aram abite sessum. (*En aparté*) Sed ubi sunt ?

**TRACHALIO** Huc respice.

**DAEMONES** Optime, istuc volueramus. Jube modo **accedat** prope.  
Tunc **legirupionem** hic **nobis cum dis facere** postulas ?  
(*À Sparax*) Pugnum in os **impinge**.

**LABRAX** Iniqua haec patior **cum pretio tuo**. 710

**DAEMONES** (*En aparté*) At etiam minitatur audax ?

**LABRAX** Jus meum ereptum est mihi.  
Meas mihi ancillas invito me eripis.

**TRACHALIO** **Cedo** judicem  
de senatu Cyrenensi quemvis opulentum virum,  
si tuas esse oportet **nive** eas esse oportet liberas  
nive in carcerem **compingi** te est aequum **aetatemque** ibi 715  
te **usque** habitare, donec totum carcerem **contriveris**.

**LABRAX** Non hodie isti rei **auspicavi**, ut cum **furcifero fabuler**.  
(*À Démonès*) Te ego **appello**.

**DAEMONES** Cum isto primum, qui te novit, disputa.

**LABRAX** Tecum ago.

**TRACHALIO** **Atqui** mecum agendum'st. Suntne illae ancillae tuae ?

**LABRAX** Sunt.

**TRACHALIO** **Agedum** ergo, tange utramvis digitulo minimo modo. 720

**LABRAX** Quid si attigero ?

**TRACHALIO** Extemplo hercle ego te **follem pugilatorium**  
faciam et **pendentem** incursabo pugnibus, perjurissime.

**LABRAX** Mihi non liceat meas ancillas Veneris de ara abducere ?

**DAEMONES** Non licet : est lex apud nos.

**LABRAX** Mihi cum vestris legibus  
nil quicquam'st commerci. Equidem istas jam ambas educam foras. 725  
Tu, senex, si istas amas, **huc arido argento**'st opus ;

si autem Veneri complacuerunt, habeat, si argentum dabit.

**DAEMONES** Det tibi argentum ? Nunc adeo meam ut scias sententiam,  
**occipito** modo illis adferre vim **joculo pausillulum**,  
ita ego te hinc ornatum amittam, tu ipsus te ut non noveris. 730  
*(aux esclaves)* Vos adeo, ubi ego **innuero** vobis, ni ei caput **exoculassitis**,  
quasi **murteta** junci, item ego vos virgis **circumvinciam**.

**LABRAX** Vi agis mecum.

**TRACHALIO** Etiam **opprobros** vim, **flagiti flagrantia** ?

**LABRAX** Tun', trifurcifer, mihi audes inclementer dicere ?

**TRACHALIO** Fateor, ego trifurcifer sum, tu es homo **adprime** probus : 735  
**numqui** minus hasce esse oportet liberas ?

**LABRAX** Quid, liberas ?

**TRACHALIO** Atque eras tuas quidem hercle, atque ex **germana Graecia** ;  
nam altera haec est nata Athenis **ingenuis** parentibus.

**DAEMONES** Quid ego ex te audio ?

**TRACHALIO** Hanc Athenis esse natam liberam.

**DAEMONES** Mea **popularis**, obsecro, haec est ?

**TRACHALIO** Non tu Cyrenensis es? 740

**DAEMONES** Immo Athenis natus altusque educatusque Atticis.

**TRACHALIO** Obsecro, defende cives tuas, senex.

**DAEMONES** O filia  
mea, cum hanc video, mearum me **absens** miseriarum **commones** ;  
**trima** quae periit mihi, jam **tanta** esset, si vivit, scio.

**LABRAX** Argentum ego pro istisce ambabus **cujae erant** domino dedi ; 745  
quid mea refert, haec Athenis natae an Thebis sient,  
dum mihi recte servitutem serviant ?

**TRACHALIO** Itane, impudens ?  
Tunc hic, **feles** virginalis, liberos parentibus  
**sublectos** habebis atque indigno quaestu **conteres** ?  
Nam huic alterae quae patria sit profecto nescio, 750  
nisi scio probiorem hanc esse quam te, impuratissime.

**LABRAX** Tuae istae sunt ?

**TRACHALIO** Contende ergo, uter sit tergo **verior** :  
ni **offerumentas** habebis plures in tergo tuo

quam ulla navis longa **clavos**, tum ego ero **mendacissimus** :  
postea aspicio meum, quando ego tuum inspectavero : 755  
nisi erit tam **sincerum**, ut quis dicat **ampullarius**  
optimum esse operi faciendo corium et sincerissimum,  
quid causae est quin virgis te usque ad **saturitatem sauciem** ?  
Quid illas spectas ? Quas si attigeris, oculos eripiam tibi.

**LABRAX** At qui, quia vetas, utramque jam mecum abducam simul. 760  
**DAEMONES** Quid facies ?

**LABRAX** **Volcanum** adducam, is **Veneri**'st adversarius.

**TRACHALIO** Quo illic it ?

**LABRAX** Heus, ecquis **hic** est ? Heus !

**DAEMONES** Si attigeris ostium,  
jam hercle tibi **messis** in ore fiet **mergis** pugneis.

**SPARAX** Nullum habemus ignem, **ficis victitamus** aridis.

**DAEMONES** Ego dabo ignem, siquidem in capite tuo **conflandi** copia'st. 765

**LABRAX** Ibo hercle aliquo quaeritatum ignem.

**DAEMONES** Quid cum inveneris ?

**LABRAX** Ignem magnum hic faciam.

**DAEMONES** Quin **inhumanum exuras** tibi ?

**LABRAX** Immo hasce ambas hic in ara ut vivas **comburam**, id volo.

**DAEMONES** Jam hercle ego te barba continuo **arripiam**, in ignem conjiciam  
teque **ambustulatum** objiciam magnis avibus pabulum. [...] 770

**TRACHALIO** Scin' quid **tecum** oro, senex ?

Ut illas serves, vim defendas, dum ego erum adduco meum.

**DAEMONES** Quaere erum atque adduce.

**TRACHALIO** At hic ne ...

**DAEMONES** Maximo malo suo, 775  
si attigerit sive oceptassit.

**TRACHALIO** Cura.

**DAEMONES** Curatum'st, abi.

**TRACHALIO** Hunc quoque adserva ipsum, ne quo **abitat** ; nam promisimus  
**carnufici** aut talentum magnum aut hunc hodie **sistere**.

**DAEMONES** Abi modo, ego dum hoc curabo recte.

**TRACHALIO** Jam ego reverero.



## **Une épouse jalouse** (*Rudens IV, I*)

*Tandis que Labrax est emmené, Démonès, qui a décidé en son for intérieur d'héberger chez lui les deux rescapées, se retrouve seul sur scène, mais brusquement il hésite et prend peur, saisi qu'il est d'une terrible inquiétude concernant sa femme, qui est d'une jalousie prodigieuse.*

<b>DAEMONES</b>	Bene factum et volup'est, me hodie his mulierculis tetulisse auxilium. Jam clientas repperi, atque ambas forma scitula atque <b>aetatula</b> . Sed uxor scelestas me omnibus servat modis, 895 ne quid <b>significem quippiam</b> mulierculis. Sed Gripus servus noster quid rerum gerat miror, de nocte qui abiit <b>piscatum</b> ad mare. Pol magis sapisset, si dormivisset domi : nam nunc et operam <b>ludos facit</b> et retia, 900 ut tempestas est nunc atque ut noctu fuit. In digitis hodie <b>percoquam</b> quod ceperit, ita fluctuare video vehementer mare. Sed ad prandium uxor me vocat. Redeo domum. Jam meas <b>opplebit</b> aures sua <b>vaniloquentia</b> . 905
-----------------	--

## **Une pêche curieuse** (*Rudens IV, II*)

*Mais le pêcheur Gripus ne revient pas bredouille de la mer : tout en portant dans ses filets une valise, d'où pend un câble (celui qui a donné son titre à la pièce) qui traîne derrière lui, il soliloque :*

<b>GRIPVS</b>	Neptuno has ago gratias meo patrono, qui salsis locis incolit <b>pisculentis</b> , cum me ex suis locis pulchre <b>ornatum expedit</b> <b>templis reducem</b> , plurima praeda onustum,
---------------	--

salute **horiae**, quae in mari fluctuoso 910  
**piscatu** novo me **uberi compotivit** ;  
miroque modo atque incredibili hic piscatus mihi **lepide** evenit,  
neque piscium ullam **unciam** hodie **pondo** cepi, nisi hoc quod fero  
hic in rete.

Nam ut de nocte multa impigreque **exsurrexi**, 915  
**lucrum** praeposivi sopori et quieti :  
tempestate saeva experiri **expetivi**,  
paupertatem eri **qui** et meam servitatem  
**tolerarem**, opera haud fui **parcus** mea. 919

Nimis homo nihili'st qui piger est ; nimisque id genus odi ego male.  
Vigilare decet hominem qui vult sua temperi conficere officia.  
Non enim illum exspectare oportet, dum erus se ad suum **suscitet**  
officium.

Nam qui dormiunt libenter, sine lucro et cum malo quiescunt.  
Nam ego nunc mihi, qui impiger fui,  
repperi ut piger, si velim, siem : 925  
hoc ego in mari, quidquid inest, repperi. 925a  
Quidquid inest, grave quidem inest ; aurum hic ego inesse reor ;  
nec mihi consciu'st ullus homo. 926a

Nunc haec tibi occasio, Gripe, **obtigit**, ut liberet ex hoc praetor te.  
Nunc sic faciam, sic consilium est : ad erum veniam docte atque astute.  
**Pauxillatim** pollicitabor **pro capite** argentum, ut sim liber.929  
Jam ubi liber ero, igitur **demum instruam** agrum atque aedes,  
**mancipia**,  
navibus magnis **mercaturam** faciam, apud reges rex **perhibebor**.  
Post **animi causa** mihi navem faciam atque imitabor **Stratonicum**,  
oppida omnia circumvectabor. Ubi nobilitas mea erit clara, 933  
oppidum magnum **communibo**, ei ego urbi Gripo **indam** nomen,  
monimentum meae famae et factis, ibi qui regnum magnum instituam.  
Magnas res hic agito in mentem instruere. Nunc hunc vidulum  
**condam**.

Sed hic rex cum **aceto pransuru'st** et sale, sine bono **pulmento**.

# Plaute

## Séance 6

### Le câble

#### Extraits de la fin de la pièce

##### *Rudens*

##### *Un témoin gênant (Rudens IV, III)*

*Mais la joie du pêcheur Gripus est brève : Trachalion l'a vu et veut lui aussi sa part du butin.*

**TRACHALIO** Heus, mane.

**GRIPUS** Quid maneam ?

**TRACHALIO** Dum hanc tibi, quam trahis, **rudentem complico**.

**GRIPUS** **Mitte** modo !

**TRACHALIO** At pol ego te adjuvabo : nam bonis quod bene fit haud perit.

**GRIPUS** **Turbida** tempestas heri fuit, 940

nil habeo, adulescens, piscium : ne tu mihi esse postules ;

non vides referre me **uvidum** rete, sine **squamoso** pecu ?

**TRACHALIO** Non edepol pisces expeto **quam** tui sermonis sum **indigens**.

**GRIPUS** **Enicas** jam me odio, quisquis es.

**TRACHALIO** Non sinam ego abire hinc te : mane.

**GRIPUS** Cave sis malo. Quid tu, **malum**, nam me retrahis ?

**TRACHALIO** Audi. 945

**GRIPUS** Non audio.

**TRACHALIO** At pol **qui** audies post.  
**GRIPUS** **Quin** post loquere quid vis.  
**TRACHALIO** Eho modo est operae pretium quod tibi ego narrare volo.  
**GRIPUS** Eloquere quid id est ?  
**TRACHALIO** Vide num quispiam consequitur prope nos.  
**GRIPUS** Ecquid est quod **mea referat** ?  
**TRACHALIO** Scilicet.  
Sed boni consili ecquid in te mihi est ? 950  
**GRIPUS** Quid negoti est, modo dice.  
**TRACHALIO** Dicam, tace,  
si fidem modo das mihi te non fore **infidum**.  
**GRIPUS** Do fidem tibi, fidus ero, quisquis es.  
**TRACHALIO** Audi.  
Furtum ego vidi qui faciebat ;  
noram dominum, id cui fiebat, 955  
post ad furem egomet devenio  
feroque ei condicionem hoc pacto :  
”Ego istuc furtum scio cui factum est ;  
nunc mihi si vis dare dimidium,  
indicium domino non faciam.”  
Is mihi nihil etiam respondit. 960  
Quid inde aequum est dari mihi ? Dimidium ?  
Volo ut dicas.  
**GRIPUS** Immo hercle etiam amplius :  
nam nisi dat, domino dicendum  
censeo.  
**TRACHALIO** Tuo consilio faciam.  
Nunc adverte animum ; namque hoc omne attinet ad te.  
**GRIPUS** Quid factum’st ?  
**TRACHALIO** Vidulum istum cuiu’st novi ego hominem jampridem.  
**GRIPUS** Quid est ?  
**TRACHALIO** Et quo pacto **perii**.  
**GRIPUS** At ego quo pacto inventu’st scio  
et qui invenit hominem novi et dominus qui nunc est scio. 965

Nihilo pol pluris tua **hoc** quam quanti **illud** refert mea :  
ego illum novi cujus nunc est, tu illum cujus antehac fuit.  
Hunc homo feret a me **nemo**, ne tu te speres **potis**.

**TRACHALIO** Non ferat si dominus veniat ?

**GRIPUS** Dominus huic, ne **frustra sis**,  
nisi ego nemo natu'st, hunc qui cepi in venatu meo. 970

**TRACHALIO** Itane vero ?

**GRIPUS** Ecquem esse dices in mari pisces meum ?  
Quos cum capio, siquidem cepi, mei sunt ; habeo pro meis,  
nec **manu adseruntur** neque illinc partem quisquam postulat.  
In foro palam omnes vendo pro meis **venalibus**.  
Mare quidem commune certo'st omnibus.

**TRACHALIO** Adsentio : 975  
**qui** minus hunc communem, quaeso, mi esse oportet vidulum ?  
In mari inventu'st communi.

**GRIPUS** **Ne** impudenter impudens es.  
Nam si istuc jus sit quod memoras, piscatores perierint.  
Quippe cum extemplo in **macellum** pisces prolati sint,  
nemo emat, suam quisque partem piscium poscant sibi ; 980  
dicant, in mari communi captos.

**TRACHALIO** Quid ais, impudens ?  
Ausu's etiam comparare vidulum cum piscibus ?  
Eadem tandem res videtur ?

**GRIPUS** **In manu non est mea** :  
ubi demisi rete atque **hamum**, quidquid haesit extraho.  
Meum quod rete atque hami nacti sunt, meum potissimum'st. 985

**TRACHALIO** Immo hercle haud est, siquidem quod **vas** excepisti.

**GRIPUS** **Philosophe !**

**TRACHALIO** Sed tu **enumquam** piscatorem vidisti, **venefice**,  
vidulum pisces cepisse aut protulisse ullum in forum ?  
Non enim tu hic quidem **occupabis** omnes **quaestus** quos voles :  
et **vitorem** et piscatorem te esse, impure, postulas. 990  
Vel te mihi monstrare oportet piscis qui sit vidulus,  
vel quod in mari non natum est neque habet **squamas** ne **feras**.

**GRIPUS** Quid, tu numquam audisti esse antehac vidulum piscem ?

**TRACHALIO** **Scelus,**  
nullus est.

**GRIPUS** Immo est profecto ; ego, qui sum piscator, scio ;  
verum raro capitur, nullus minus saepe ad terram venit. 995

**TRACHALIO** Nil agis, dare verba speras mihi te posse, furcifer.  
Quo colore est ?

**GRIPUS** Hoc colore capiuntur **pauxilluli** ;  
sunt alii **puniceo** corio, magni item ; atque atri.

**TRACHALIO** Scio.  
Tu hercle, opinor, in vidulum te piscem convertes, nisi caves :  
fiet tibi puniceum corium, postea atrum **denuo**. [...] 1000

*Le désaccord se poursuivant, Trachalion propose à Gripus de prendre un arbitre.*

**TRACHALIO** Vin qui in hac villa habitat, ejus arbitrato fieri ? 1035

**GRIPUS** Paulisper remitte **restem**, dum concedo et consulo.

**TRACHALIO** Fiat.

**GRIPUS** (*En aparté*) Euge, salva res est, praeda haec **perpetua** est mea ;  
ad meum erum arbitrum vocat me hic intra **praesepes** meas :  
numquam hercle hodie **abjudicabit** ab suo **triobolum**.  
**Ne** iste haud scit quam condicionem **tetulerit**. (*Haut*) Ibo ad arbitrum. 1040

**TRACHALIO** Quid igitur ?

**GRIPUS** Quamquam istuc esse jus meum certo scio,  
fiat istuc potius quam nunc pugnem tecum.

**TRACHALIO** Nunc places. [...]

**Sauvées ? Pas sauvées ?** (*Rudens IV, IV*)

*Par pure coïncidence, Démonès sort de sa maison à ce moment avec les deux jeunes filles.*

**DAEMONES** **Serio** edepol, quamquam vobis volo quae vultis, mulieres, 1045  
metuo, propter vos, ne uxor mea me **extrudat** aedibus,  
quae me **paelices** adduxisse dicet ante oculos suos.  
Vos confugite in aram potius quam ego.



PVELLAE  
DAEMONES

Miserae periiimus.

Ego vos salvas **sistam**, ne timete.



Les jumelles dansent pour séduire Pseudole (**Le Forum en Folie** de Richard Lester)

*Puis Démonès assume l'arbitrage entre Gripus et Trachalion.*

DAEMONES

Quid nunc tu vis ? Dic mihi.

TRACHALIO

Equidem ego neque partem posco mihi istinc de istoc vidulo  
neque meum esse hodie umquam dixi ; sed isti inest **cistellula**  
hujus mulieris, quam **dudum** dixi fuisse liberam. 1079

DAEMONES

**Nempe** tu hanc dicis quam esse aiebas dudum popularem meam ?

TRACHALIO

**Admodum** ; et ea quae olim parva **gestavit crepundia**  
istic in ista **cistula** insunt, quae istic inest in vidulo.  
Hoc neque isti usu'st, et illi miserae **suppetias** feret,  
si id dederit, qui suos parentes quaerat.

DAEMONES

Faciam ut det ; tace.

GRIPUS

Nil hercle ego sum isti daturus.

TRACHALIO

Nil peto nisi cistulam 1085

et crepundia.

GRIPUS

Quid si ea sunt aurea ?

TRACHALIO

Quid istuc **tua** ?

Aurum auro **expendetur**, argentum argento **exaequabitur**.

**GRIPUS**

Fac **sis** aurum ut videam, post ego faciam ut videas cistulam.

**DAEMONES**

Cave **malo** ac tace tu. (*À Trachalion*) Tu perge ut ocepisti dicere.

**TRACHALIO**

Unum te obsecro, ut **te** hujus **commiserescat** mulieris 1090

si quidem hic lenonis eju'st vidulus, quem suspicor ;

hic, nisi de opinione, certum nil dico tibi.

**GRIPUS**

Viden' ? Scelestus **aucupatur**.

**TRACHALIO**

Sine me ut ocepi loqui.

Si scelesti illius est hic, cujus dico, vidulus,

hae poterunt novisse : ostendere his jube.

**GRIPUS**

Ain' ? ostendere ? 1095

**DAEMONES**

Haud iniquum dicit, Gripe, ut ostendatur vidulus.

**GRIPUS**

Immo hercle **insignite** inique.

**DAEMONES**

**Quidum ?**

**GRIPUS**

Quia, si ostendero,

**continuo** hunc novisse dicent scilicet.

**TRACHALIO**

Scelerum **caput**,

ut **tute** es, **item** omnes censes esse, perjuri caput ?

**GRIPUS**

Omnia istaec ego facile patior, dum **hic** hinc a me sentiat. 1100

**TRACHALIO**

Atque nunc **abs te** stat ; verum **hinc** ibi testimonium.

**DAEMONES**

Gripe, adverte animum. (*À Trachalion*) Tu paucis expedi quid postulas.

**TRACHALIO**

Dixi equidem, sed si parum intellexti, dicam denuo.

Hasce ambas, ut dudum dixi, ita esse oportet liberarum :

haec Athenis parva fuit virgo subrepta.

**GRIPUS**

Dic mihi, 1105

quid id ad vidulum pertinet, servae sint istae an liberae ?

**TRACHALIO**

Omnia iterum vis memorari, scelus, ut **defiat** dies.

**DAEMONES**

Abstine maledictis et mihi quod rogavi **dilue**.

**TRACHALIO**

Cistellam isti inesse oportet **caudeam** in isto vidulo,

ubi sunt signa **qui** parentes noscere haec possit suos, 1110

quibuscum **perit** parva Athenis, sicuti dixi prius.

**GRIPUS**

Juppiter te dique perdant. Quid ais, vir venefice ?

Quid ? istae **mutae** sunt, quae pro se **fabulari** non queant ?

**TRACHALIO**

Eo tacent, quia tacita'st melior mulier semper quam loquens.

**GRIPUS** Tum pol tu pro oratione nec vir nec mulier mihi es. 1115

**TRACHALIO** Quidum ?

**GRIPUS** Quia enim neque loquens es neque tacens umquam bonus.  
Quaeso, en umquam hodie licebit mihi loqui ?

**DAEMONES** Si praeterhac  
unum verbum faxis hodie, ego tibi comminuum caput.

**TRACHALIO** Ut id ocepi dicere, senex, eam, te quaeso, cistulam  
ut jubeas hunc reddere illis ; ob eam si quid postulat 1120  
sibi **mercedis**, dabitur : aliud quidquid ibi est habeat sibi.



Philia s'enfuit par l'oculus du dôme (**Le Forum en Folie** de Richard Lester)

**GRIPUS** Nunc demum istuc dicis, quoniam jus meum esse intellegis :  
dudum **dimidiam** petebas **partem**.

**TRACHALIO** Immo etiam nunc peto.

**GRIPUS** Vidi petere **miluum**, etiam cum nihil auferret tamen.

**DAEMONES** Non ego te comprimere possum sine malo ?

**GRIPUS** Si iste tacet, 1125  
ego tacebo ; si iste loquitur, sine me pro parte loqui.

**DAEMONES** **Cedo** modo mihi vidulum istum, Gripe.

**GRIPUS** **Concredam** tibi,

at, si istorum nil sit, ut mihi reddas.

**DAEMONES**

Reddetur.

**GRIPUS**

Tene.

**DAEMONES**

Audi nunciam, Palaestra atque Ampelisca, hoc quod loquor.

Estne hic vidulus ubi cistellam hic tuam inesse aiebat ?

**PALAESTRA**

Is est. 1130

**GRIPUS**

Perii hercle ego miser ! Ut, priusquam **plane** aspexit, ilico eum esse dixit !

**PALAESTRA**

Faciam ego hanc rem ex **procliva** planam tibi.

Cistellam isti inesse oportet caudeam in isto vidulo.

Ibi ego dicam quidquid inerit **nominatim** : tu mihi

nullum ostenderis. Si falsa dicam, frustra dixero ; 1135

vos tamen ista, quidquid istic inerit, vobis habebitis ;

sed si erunt vera, tum obsecro te ut mea mihi reddantur.

**DAEMONES**

Placet.

Jus **merum** oras meo quidem animo.

**GRIPUS**

At meo hercle injuriam.

Quid si ista aut **superstitiosa** aut **hariola**'st atque omnia,

quidquid insit, vera dicet ? Anne habebit hariola ? 1140

**DAEMONES**

Non feret, nisi vera dicet : nequiquam hariolabitur.

**Solve** vidulum ergo, ut quid sit verum quam primum sciam.

**GRIPUS**

Hoc habet, solutu'st.

**DAEMONES**

Aperi. Video cistellam. Haecin'est ?

**PALAESTRA**

Istaec est. O mei parentes, hic vos conclusos gero !

Huc opesque spesque vestrum cognoscendum condidi. 1145

**GRIPUS**

Tum tibi hercle deos iratos esse oportet, quisquis es, quae parentes tam in angustum tuos locum **compegeris**.

**DAEMONES**

Gripe, accede huc ; tua res agitur. Tu, puella, istinc procul dicito quid insit et qua facie, memorato omnia.

Si hercle **tantillum peccassis**, quod posterius postules 1150 te ad verum converti, **nugas**, mulier, magnas egeris.

**GRIPUS**

Jus bonum oras.

**TRACHALIO**

Edepol haud te orat, nam tu injuriu's.

**DAEMONES**

Loquere nunciam, puella. Gripe, animum adverte ac tace.

**PALAESTRA** Sunt crepundia.  
**DAEMONES** Ecce video.  
**GRIPUS** Perii in primo proelio.  
 Mane, ne ostenderis.  
**DAEMONES** Qua facie sunt ? Responde ex ordine. 1155  
**PALAESTRA** **Ensiculu'st aureolus** primum **litteratus**.  
**DAEMONES** Dice dum,  
 in eo ensiculo litterarum quid est ?  
**PALAESTRA** Mei nomen patris.  
 post **altrinsecu'st securicula ancipes**, itidem aurea  
 litterata : ibi matris nomen in securiculast.  
**DAEMONES** Mane.  
 Dic, in ensiculo quid nomen est paternum ?  
**PALAESTRA** Daemones. 1160  
**DAEMONES** Di immortales, ubi loci sunt spes meae ?  
**GRIPUS** Immo edepol meae ?  
**TRACHALIO** Pergite, obsecro, **continuo**.  
**GRIPUS** Placide, aut ite in malam crucem.  
**DAEMONES** Loquere matris nomen hic quid in securicula siet.  
**PALAESTRA** Daedalis.  
**DAEMONES** Di me servatum cupiunt.  
**GRIPUS** At me perditum.  
**DAEMONES** Filiam meam esse hanc oportet, Gripe.  
**GRIPUS** Sit per me quidem. 1165  
 (*À Trachalion*) **Qui** te di omnes perdant, qui me hodie oculis vidisti tuis,  
 meque adeo scelestum, qui non circumspexi **centiens**,  
 prius me ne quis inspectaret quam rete extraxi ex aqua.  
**PALAESTRA** Post **sicilicula** argenteola et duae **conexae maniculae** et  
**sucula**.  
**GRIPUS** Quin tu **i diirecta**, cum sucula et cum porculis. 1170  
**PALAESTRA** Et **bull**a aurea est, pater quam dedit mihi natali die.  
**DAEMONES** Ea est profecto. Contineri quin complectar non queo.  
 Filia mea, salve. Ego is sum qui te produxi pater,  
 ego sum Daemones, et mater tua **eccam** hic intus Daedalis.



**PALAESTRA** Salve, mi pater insperate.  
**DAEMONES** Salve. Ut te amplector libens ! 1175  
**TRACHALIO** Volup est cum istud ex pietate vestra vobis contigit.  
**DAEMONES** **Capedum**, hunc si potes, fer intro vidulum, age, Trachalio.  
**TRACHALIO** Ecce Gripi scelera. Cum istaec res male evenit tibi,  
 Gripe, gratulor.  
**DAEMONES** Age eamus, mea nata, ad matrem tuam,  
 quae ex te poterit argumentis hanc rem magis exquirere, 1180  
 quae te magis **tractavit** magisque **signa** pernovit tua.  
**TRACHALIO** Eamus intro omnes, quando **operam promiscam damus**.  
**PALAESTRA** Sequere me, Ampelisca.  
**AMPELISCA** Cum te di amant, voluptati est mihi.

*Après ce dénouement heureux, Labrax, de retour, est prêt, pour récupérer la valise dans laquelle se trouvent également ses richesses personnelles, à renoncer à ce qu'il croit être ses droits sur les deux jeunes filles et à les libérer sans condition. Ainsi tout est bien qui finit bien !*



La sourde entre dans un amphithéâtre (**Le Forum en Folie** de Richard Lester)